



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

3 Vagabundi beneficijs simplicibus possunt iure privari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

residentiam, si clerici vagantur, ob delictum vagationis, servatis de iure servandis, legitimo contra ipsos formato processu, possunt illis iure privari gl. ut in c. non oportet. de consecr. dist. 5. Innoc. in c. ex tua devotionis. n. 4. & Abb. nu. 14 de cler. non resid. Corlet in sing. in verb. vagabundus, & Diaz. pract. crim. c. 53. nu. 4.

Episcopi si autem, qui propriæ salutis immemores, terrena cœlestibus, ac divinis humana præferentes, in diversis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine, ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum cura neglecta, se detinent occupati: si quis ipsorum, sex mensibus continuis, extra suam diœcesim, legitimo impedimento, seu iustis, & rationabilibus causis cessantibus, morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ ecclesiæ, seu pauperibus loci, per superiorem ecclesiasticum applicandorum pœnam ipse iure incurrit: quod si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittit: & crescente contumacia, ut severiori sacrorum canonum censuræ subijciatur, metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, metropolitanum verò absentem, suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ eo ipso incurrenda, intra tres menses per litteras, seu nuncium Romano Pontifici denunciare tenetur, quin in ipso absentes, prout cujusque major, aut minor contumacia exegerit, suæ supremæ sedis auctoritate animadvertere, & ecclesiis ipsis de pastorebus utilioribus providere possit, sicut in Domino noverit salubriter expedire, conc. Trident. c. 1. §. ac nihilominus, & §. si quis, de re-

form. sess. 6. & ante concil. Tridentinum etiam ad residentiam tenebantur. cap. per venit. & cap. 1. & 2. de cler. non resid. ad quam per concil. Trident. in cap. 1. de re-form. sess. 23. inquit Navar. Episcopos, & Parochos iure divino teneri: ut in cap. 25. numer. 121. circa. med. ver. secundò. prædictum concilium.

Episcopus enim si diu à sua residentia absens iure privari potest. c. 2. & c. qualiter. de cler. non resid. præcipue autem Dominici adventus, Resurrectionis Domini, Pentecostes, & Corporis Christi diebus Episcopi à residentia abesse non possunt c. si quis in clero. 7. q. 1. nec quadragesimali tempore. concil. Trident. in c. 1. circa. med. de re-form. sess. 23. Nec ultra trimestre singulis annis, sive continuum, sive interruptum, (quod etiam æqua ex causa, & absque ullo gregis detrimento fieri debet) nunquam abesse possunt; quod quidem temporis spacium conceditur, cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, & evidens ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas exposcit: quæ causæ à dicto concilio uti legitimæ fuerunt approbatæ eod. c. 1. §. nam cum sess. 23. c. ad supplicationem de renano. c. relatum. c. de cœtero. c. inter quatuor, & c. tua, de cler. non resid. & c. quorundam. 74. dist.

Abesse si cupientes licitas causas, à Papa, aut à Metropolitano, vel Metropolitano absente, à suffraganeo Episcopo antiquiore residente, qui ejusdem Metropolitanus absentiam approbare debet, ut in scriptis approbentur, debent obtinere: nisi cum absentia incidit propter aliquod munus, & reipublicæ officium Episcopatibus adjunctum, cujus, quoniam causæ sunt notoriæ & interdum repentinae, non